

(1255) 1256, gener, 7

*Ramon d'Escala i Bernat Estruç garanteixen d'evicció l'anterior venda.*

ASD núm. 171, perg. orig., 325 x 203 mm.

Sit notum omnibus quod ego Raimundus de Scala et ego Bernardus Strucius maior, per nos et per omnes nostros conuenimus bona fide et per firmam stipulacionem promitimus tibi Berengario de Ioncherio et tuis et cui uolueritis quod semper nos et nostri faciamus tibi et tuis per franchum et liberum alodium habere et tenere in pace totam illam empacionem mille .CL. solidorum barchinonensium quam fecisti a Petro Strucio de mansa quem inhabitat Raimundus de Sudredis de Quarto et de honoribus et possessionibus ipsius mansi et de hominibus et feminis et censibus et agradis et iuribus et dominiis ipsius mansi et honorum et possessionum ipius mansi et de censibus et agrariis et iuribus et dominiis que accipiebat in toto honore quem Guilielmus de Rouira de Quarto in parrochia de Quarto per dictum Petrum Strucium tenebat, que omnia ab ipso Petro Strucio emisti, prout in instrumento empacionali inde confecto continetur, et quod nos et nostri erimus tibi et tuis deffensores et garentes contra cunctam uiuentem personam. Uerumtamen, si aliquis ibi aliquid tibi uel tuis · tetigerit uel forifecerit siue emparauerit aut contradixerit siue questionem uel demandam contra te uel tuos mouerit uel fecerit, nos ante ingressum litis statim promitimus nos ante te et tuos ponere et honus et litem super nos et nostros recipere et totam causam ad effectum ducere a litis principio usque in finem, et seruabimus inde te et tuos indemnes in curia et extra curiam et in placito et extra placitum et in iudicio et extra iudicium cum nostris propriis expensis et missionibus. Uel si tu uel tui malueritis, possitis causam ducere, tamen tibi et tuis super hoc eleccione seruata, remitendo tibi et tuis ex pacto necessitatem denunciationis, et si tu et tui eligeritis in propria persona causam tractare, promittimus tibi et tuis omnes missiones et expensas circa litem factas et omnia dampna restituere siue obtineatis in causam siue subcumbatis, et quidquid et quantum de iure euinceretur, et credamini tu et tui inde uestro plano uerbo sine sacramento. Et si forte racione predictorum dampnum aliquod uel grauamen siue missionem aliquam aliquo modo inde te uel tuos facere uel sustinere opportuerit, totum conuenimus tibi et tuis in integrum resarcire, et sitis tu et tui inde crediti uestro plano uerbo sine sacramento et testium produccione, et ad hec facienda et complenda obligamus tibi et tuis de euictione et de omni interesse quisque nostrum in solidum et pro toto nos et heredes nostros et successores et omnia nostra bona habita et habenda semper ubique; et super hiis reuiciamus epistole diui Adriani et beneficio diuidende actionis et noue constitutionis et omni alii iuri scripto et non scripto nobis et nostris competenti uel competituro.

Actum est hoc .VII. idus ianuarii anno Domini .MCCL. quinto.

(s. man.) Raimundus de Scala\*. (s. man.) Bernardus Struscio, qui hoc firmo\*. Sig+num Bernardi Bernardi, sig+num Iohannis Bosserii, sig+num Petri Boffilii, huius rei testium.

(s. man.) Arnallus de Sancto Martina, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici  
Gerunde notarii. Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscrivo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-  
1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 357-358